1203. Fontanetum Morbio 17 (2)

(S.T.) In nomine domini. Anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tercio, die ueneris qui est undecimo ante kalendas aprilis, indictione sexta. In castello loci Fontaneti ante ecclesiam sancti Seba-
stiani. Finem atque refutacionem similiter fecere Berta filia quondam Papari et relicta quondam Bozi, pro medietate, consensu Lafranci filii et mondoaldi sui, et Albertus at-
que Guilielmus fratres filii quondam Paglierii, pro alia medietate, omnes de loco Fontaneto. In manu domini Ariberti gratia dei abbatis ecclesie et monasterii sancti Gemani de Gan-
na, nomine et ad partem ipsius monasterii. Nominative de tota illa decima integraliter et generaliter que dicitur de Spaciis quam ipsi Berta et Albertus et Guilielmus tenent et soliti sunt tene-
re in feudum per eundem monasterium in eodem loco et fondo Fontaneto et eius territorio pertinenentis uel circumpertinentis. De qua decima integraliter et generaliter predictus
dominus abbas Aribertus ex parte ipsius monasterii per consensum et actoritatem atque confirmacionem domni Guidoti qui dicitur Uesconte, domni Anrici qui dicitur de Ispura, atque domni Guilielmi qui di-
citur de Bozo, monachorum ipsius monasterii, ibidem in continenti inuestiuit Gufredotum et Albertum fratres filios quondam Oddi de loco Ueddano nomine legalis et recti atque gentilis fe-
udi, habitando unus ipsorum fratrum uel suorum heredum semper omni tempore donec ipsum feudum et ipsam decimam tenuerint super districtum ipsius monasterii, et tenendo equ-
um unum semper omni tempore in seruicio ipsius monasterii, et faciendo omnes alias condiciones et usancias quas et sicut ipsi Berta et Albertus et Guilielmus uel sui maiores pro eo-
dem feudo soliti sunt facere uel facere debent predicto monasterio. Quantum ipsum feudum et predicta uniuersa decima ubicumque in integrum sunt inuentum siue inuen-
ta in hac presenti maneat inuestitura nomine legalis et recti atque gentilis feudi. Ita ut amodo in antea omni tempore in perpetuum predicti Gufredotus et Albertus fratres et sui heredes
habeant et teneant ac possideant predictam decimam integraliter titulo feudi et faciant exinde omni tempore cum suis heredibus de ea iure legalis et recti atque gentilis feudi
quicquid uoluerint et ei utile sunt, tamen habitando unus ipsorum fratrum hab uel suorum heredum semper omni tempore super districtum ipsius monasterii et tenendo equum unum in seruic-
io ipsius monasterii, et faciendo omnes alias condiciones et usancias sicut predicti uasalli pro eodem feudo et decima soliti sunt facere et facere debent, ut supra dic-
tum est. Et eo pacto addito ut si unus ipsorum fratrum sine herede decesserit alter ei succedat ac si esset feudum paternale in eos, et ut sibi sit feudum patrona-
le et teneat eum in locum feudi paternalis. Et pro eadem fine quam ipsi Berta et Albertus et Guilielmus fecere in manu ipsius domini abbatis confessi et manifesti fuere
se ab eisdem Gufredoto et Alberto fratribus libras sex denariorum bonorum imperialium accepisse in pagamentum, renunciando excepcioni non accepti precii. Insuper predic-
ti Berta et Albertus et Guilielmus per se et suos heredes promisere et conuenere et guarentare eisdem Gufredoto et Alberto fratribus, et unus pro alio fideiussit, et se et omnia sua
bona que habent et habituri sunt eis pignori obligauerunt, ita ut quisque eorum pro toto eligi et conueniri possit, si predictum feudum et predicta decima per se uel per suos an-
tecessores alicui esset inbregatum siue inbregata, ipsi omni tempore suis expensis et dampnis eam disbregauerint. Insuper predictus Albertus frater ipsius Gufredoti
ad sancta dei euuangelia iurauit fidelitatem pro eodem feudo eidem domino abbati. Quia sic inter eos conuenit. Actum in eodem castello. Unde due carte
uni tenoris ab utrisque pariter fieri sunt rogate.
Interfuere ibi testes Henricus de Bernago, Azo de Galiate, Uricus de Lupiate, Albertus Isouri, Petrus Silani, Ferrandus Borgina et Iuonus
de Fontaneto.

(S.T.) Ego Allo de Gulasica iudex et missus domini imperatoris Federici interfui et hanc cartam tradidi et scribere feci et subscripsi.

(S.T.) Ego Allo iudex et notarius filius item Allonis de Gulasica iudicis iussu ipsius Allonis hanc cartam scripsi que eam tradidit.

[Stamp: Universitäts- u. Landesbibliothek Halle/S.]
Morbio 17 (2)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1815870184-10/fragment/page=0001

1203

Finis et renunciatio facta per ubertum fq. paze et relictam qd. bozi et albertum et gulielmum fr̃es fq. paglieri omnes de fontaneto nominatim de tota illa p̃te vinee de paeis in terr.° fontaneti quam ipsi uberta et dicti duo fr̃es tenuerunt nomine tenebat a mon.rio Cum simili investitura p̃te predicte incontinenti per d.m B. d.m abbatem in guifredom et albertum fr̃es fq. ot̃i de loco de inviolano facta.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1815870184-10/fragment/page=0002